



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. V. Plena gratiis superfluit. Probat, Mariam per gratiam ac operationem Sancti Spiritûs; omni gratiâ repletam esse, & quomodo gratias divinas nobis abundè procuret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

## DISCURSUS V.

Plenitudine divinarum gratiarum superflua  
est B. V. Maria.

Exordium,

**T**riplicem gratiam, cujus capax est pura creatura, emmerat, ac distinguit S. Antoninus, 4. part. tit. 15. cap. 16. Est enim gratia gratum Deo faciens, propter meritum; est gratia gratis à Deo data, propter ipsorum utilitatem; est gratia privilegiorum, à Deo collata à singularem sublimitatem: Quæ nunc creatura triplicem hanc gratiam à Deo accepit, cum veritate gratiâ plena dici potest sanctiorem, ac sublimiorem omnibus creaturis Beatam Mariam semper Virginem supra jam demonstravimus, relictam & utilem generi humano videamus. *A quâ omnes gratiant in Ecclesiam militantem.* scribit S. Bernardinus Senensis ferm. de Annunt. B. V. art. 1. cap. 2. Triplici igitur hac gratiâ plena fuit Virgo Maria, ut proinde optimo jure dicere valeat illud. Eccles. 24. cap. *In me est omnis gratia.* dignissima, quam jussu divino gratiâ plenam, Archangelus salutaverit, cui nos SS. Patrum sententiis famulemur. *Bene sola gratiâ plena dicitur, quia sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratia repleretur Authore.* definit S. Ambrosius. supra Lucam lib. 2. cap. 1. *Ave, inquit, gratiâ plena, & bene placita quia ceteris per partes præstat, Maria verò simul se tota præstat plenitudo gratiæ.* subnectit S. Hieronymus. tract. 9. epist. 10. ad Paulam & Eustoch. *Idcirco gratiâ plenam cognominata, eo quòd ab impletione Spiritus S. omnibus gratiis abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur,* perpendit S. Athanasius, sententia de Deiparâ V. *Sola Virgo Maria plena gratiâ suis, inter puras creaturas, quia majorem gratiam habere non potuit.* S. Antoninus part. 4. tract. 15. cap. 15. §. 1. *Quid mirum, si gratiâ plena*

SS. Patres.

S. Ambrosius.

S. Hieronymus.

S. Athanasius.

S. Antoninus

erat, cum quâ Dominus erat. S. Bernardus. serm. super missus est. S. Bernardus.  
 B. V. Maria tantam gratia obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima Auctori gratia, ita, quod Deum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet, & cum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 5. ad. 1. S. Thomas.  
 Quia humilitas, locus est gratia Dei, adeo, ut tantum gratia capax sit aliquis, quantum fuerit humilis, sicut B. Virgo virtutem hanc perfecte, & totam possedit, ita totam eam gratia implevit, totamq; decoravit. Richardus de S. Victore. cap. 26. in Cant. Richardus de S. Vict.  
 Ubiq; sancta, ubiq; plena, ubiq; immaculata, sancta quidem, mente, & corpore, plena, gratia & virtute. B. Laurentius Justinianus. lib. de casto connubio. cap. 9. in tantum fuit Maria prætius Justin.  
 maximâ gratia plenitudine ponderosa, quod, si ipsa sola in unâ statera poneretur, ex unâ parte, & ceteri omnes sancti, tam novi, quam veteris Testamenti, & omnes Angeli in aliâ, ipsa amplius ponderaret. Bernardinus de Buftis. in Marial. ser. 7. de Annunt. Bernardinus de Buftis.  
 Christus Mariam replevit gratiâ, quam retraxit à Synagogâ. Richardus à S. Laurentio. de laud. B. V. lib. 9. Gratia sancta Richardus à S. Laurent.  
 Virginis, est immensa. S. Epiphanius. serm. de laud. V. Eleemosynaria Dei est, Virgo Maria, omnes enim eleemosinas, & gratias, S. Epiphanius.  
 quas Deus de Cælo in Terram mittit, Maria sua sciendas commisit: in tantum enim eam dilexit, ut nihil nos habere voluerit, quod per manus ejus non transiret. Jacobus de Voragine. in Mariali Jacobus de Voragine.  
 serm. 4. litt. E. concludit denuò Bernardus. ser. 2. in Assumpt. B. V. Quis enim vacuum dixerit, quam salutat Angelus, gratiâ plenam? Hâc Marianâ gratiarum plenitudine suffulti, Conceptus formare præsumimus.

## CONCEPTUS I.

Indefessus rerum naturalium inquisitor Plinius. lib. 11. Confirmatio seu Ductio.  
 Natural. Histor. cap. 16. de laboriosis & puritati specialiter de-  
 ditis apibus observat, quod mundissima hæc animalcula, ce-  
 ram illam virginalem, in quâ Rex apum generandus est, ex  
 ipso naturæ instinctu, de selectissimis, miræque pulchritudinis,  
 d 3 flori-

floribus, & de optimi odoris herbulis, singulari diligentia  
 leant præparare: cœlestium apicularum Regem sapien-  
 tum, esse Christum Jesum, quis ignoret? Ceram virgi-  
 nem, de quâ, Rex hic mundo natus est, intemeratam esse Vir-  
 ginem Mariam, non est, qui diffiteatur: hanc ergo Ceram vir-  
 ginalem, Genitricem Dei, divina apis, Spiritus S. de felicissi-  
 mis virtutum floribus, de optimo divinarum gratiarum odore  
 singulariter præparavit, in paradiso enim non est flos gratia  
 de quo suavitatem odoris, non det Maria, adeo præparata  
 est habitatio incarnati Verbi Christi Jesu. Meliori nempe  
 cinnamomo profundissimæ humilitatis odorant Confessores,  
 pretioso patientiæ aromate Martyres, sua visissimo castitatis be-  
 famo Virgines, Sancti denique omnes specialia spargunt, vir-  
 tutum suarum odora menta, Beatissima Virgo autem, cinnam-  
 momo humilitatis, patientiæ aromate, castitatis balsamum  
 summam omnium virtutum, ac gratiarum, generali fragran-  
 ti odore, in cuius personâ jam dudum locutus est Salomon  
 Eccles. 24. cap. *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatum  
 odorem dedi: quasi Myrrha electa dedi suavitatem odoris:  
 quasi storax, & galbanus, & unguis, & gutta, & quasi libanus  
 non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum  
 non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos  
 meos, & rami mei honoris & gratia.* Confirmat Conceptus  
 hunc S. Thomas de villâ novâ. Conc. 3. de Nat. B.V. *Quis in  
 in quolibet Sancto fuit illustre, in illâ (Mariâ) fuit; in illâ pa-  
 tientiâ fuit Job, mansuetudo Moysis, fides Abrahæ, castitas Ma-  
 seph, humilitas David, sapientia Salomonis, zelus Elisei; in illâ  
 puritas Virginum, fortitudo Martyrum, devotio Confessorum,  
 sapientia Doctorum, contemptus Mundi Anachoretarum; in illâ  
 donum Sapientiæ, scientia, & intellectus, donum Pietatis,  
 Fortitudinis, & omnia dona, & omnis gratia.*

## CONCEPTUS II.

Mariæ nomen, *Mare* interpretatur Dionysius Carthagi-  
 nus. lib. 3. de laud. Virg. art. 3. *Quid ergo similitudinis erat*

habet cum Maria? Sicut nullus valet guttas maris dinumerare, inquit, sic misericordiam, gratia excellentiam, gloriamq; Maria, nullus valet exprimere. Aliâ similitudine correspondet Doctor seraphicus Bonaventura. in speculo B. V. lect. 3. Maria dicitur mare, propter affluentiam & copiam gratiarum; unde scriptum est in Ecclesiaste: omnia flumina intrant in mare: flumina sunt charismata Spiritus S. unde Joannes dicit: Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent, aqua viva; hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam: flumen enim gratia Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratia Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam, & flumen gratia Apostolorum intrat in Mariam, & flumen gratia Martyrum intrat in Mariam, & flumen gratia Confessorum intrat in Mariam, flumen gratia Virginum intrat in Mariam, omnia flumina intrant in mare, id est, omnes gratia intrant in Mariam. Adde & ego: verè gratia plenam: sicut nunc aquæ omnes intrant in mare, & per certos aquæ ductus in flumina, fontes, & rivos redundant, sic omnes gratiæ Sanctorum intrant in Mariam, & ab eâ in universos Clientes derivantur. Sic concludit S. Doctor. Quid mirum, si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes confluit. Melliflua S. Bernardi verba non incongruè libet adaptare. Altiùs intuemini, quanto devotionis affectu, à nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Mariâ, ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratia, si quid salutis, ab eâ noverimus redundare. Ita ille: In Nativ. Virg. de aquæ ductu.

### CONCEPTUS III.

Sponsam suam, quam obumbraverat, Spiritus S. gratia plenam, semper Virginem Dei Genitricem Mariam deprædicat. Cant. 6. quod sit: *Aurora consurgens, pulchra ut luna, elatant sol.* Auroram declarat Rupertus Abbas. lib. 6. in Cant. *sicut*

Sicut aurora quotidiana, finis praterita noctis, & initium sequentis; sic Nativitas tua ex semine Abrahae, clara es post David, finis dolorum, & initium consolationis fuit, finis tristitia, & letitia nobis extitit principium. Clarius adhuc S. Bernardus ventura, in speculo B. V. lect. 11. Aurora est Beatissima Virgo Maria, qua inter noctem & solem, inter hominem in partu Deum justum est optima mediatrix, optima ira Dei refrigeratrix. Testatur B. Bernardus dicens: securum jam habet homo accessum ad Deum, ubi mediatorem causa sua, Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem; Filius nudato corpore, Patri ostentatus, & vulnera, Maria Filio pectus & ubera: non potest ubi modo fieri repulsa, ubi concurrunt, & perorant tanta charitatis insignia. Pulchram ut luna, unigeniti Filii Dei Matrem insinuat Bernardinus de Busto. in Marial. part. 1. f. 2. Sic enim luna noctem illuminat, fugat tenebras, ambulanti nocte iter ostendit; sic tu tenebrosam hanc lachrymarum vallem, Mundum videlicet, sylvamq; feris plenam illuminas, errantes reducis, peccatoribus iter, per quod ad caelestem patriam pervenire possint, ostendis. Quemadmodum etiam luna lumen a sole recipit, receptumq; reflectit in terram; ita tu a sole justitiae, dilectissimo Filio illuminaris (nam revera lucerna tua est apud Apoc. 41.) lumenq; receptum in mundum reflectis, tu enim lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuae Israel Electae ut sol, praemillibus Virginem repraesentat Richardus a S. Laurentio. de laud. B. V. cap. 7. Sol tanta liberalitate quod a nulla Creatura, quantumcumq; satente & sordida, sibi ei exposita, radios suos avertit: similiter nec Maria, a quantumcumq; vilissimo peccatore, ipsam fideliter invocante, avertit respectum pietatis sua. Ave igitur praemillibus, ave, gratia plena.

#### CONCEPTUS IV.

Liber Judicum cap. 6. narrat, vellus Gedeonis de rostris Coeli guttulis, quasi tot pretiosis margaritis replectum fuisse.

quibus de vellere expressis, & de conchâ, quâ replebatur, stillantibus, sicca quaquaversum terra recreabatur. Quem creditis, mysticum hoc vellus præfigurâsse? Beatam Virginem, gratias in corda humana stillantem, non obscure significabat; sic enim sentit Richardus à S. Laurentio. de laud. B. V. lib. 1. cap. 8. *ipsa vellus Gedeonis, Jud. 6. madefactum rore gratiarum, quod compressione levissimâ devota saluationis, & orationis, larga distillabit stillicida super terram cordis humani.* Sicca nimium ab omni benedictione divinâ, terra cordis humani permaneret, nisi super eam de plenitudine gratiarum suarum, largè stillaret Virgo gratiâ plena,

## CONCEPTUS V.

Doctissimus Gerson. tract. 9. super Magnificat, Mariam Virginem, *Collum Ecclesie candidum*, intitulat, etenim Ecclesia corpus quoddam est mysticum, cujus Caput Christus est, collum B. Virgo, reliqua verò membra sunt Christi fideles. Cur rectè collum Virgini attribuit? cibum & nutrimenta necessaria, de capite per collum, natura corpori, ejusque membris transmittit, pari modo Ecclesia cibum gratiæ, de Capite suo Christo Jesu, per collum candidissimum, Virginem immaculatam in reliquos Christi fideles transfundit. Verba Authoris recitemus. *Tu collum Ecclesie firmissimum, & candidum, tamquam turris eburnea, tu connectis Ecclesie membra suo capiti, Christo Filio tuo, tu sustentas, tu vitales haustus prima suscipis, & refluis, tu suspiras, & respiras, in Ecclesie corpus universum.* Ad amissim scribit S. Hieronymus. serm. de Assumpt. Virg. *Omni plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est in Mariâ; in Christo, sicut in capite; in Mariâ, sicut in collo, corpori Ecclesie transfundenti.* Claudio Conceptum hunc cum Ven. P. Joanne à Jesu Mariâ, tom. 4. epist. ad B. V. sic exclamante. *O collum Ecclesie sancta, ebore puro amanius, quo mediante jungitur illa capiti, & sponso suo! ah! iunge me summo illi ac sempiterno bono, &*  
Jesum

*Jesum benedictum fructum ventris tui, mihi post hoc exultare ostende. O Maria, gratiâ plena!*

### CONCEPTUS VI.

*Locum thesaurorum Dei, Mariam Virginem appellat B. Albertus Magnus. in Bibl. Maria. Evang. Matth. n. 22. *locus thesaurorum Dei.* Matth. 12. *bonus homo, id est, Christus Deus, & homo, de bono thesauro suo, id est, Virgine Maria, profert bona, scilicet misericordiae, gratia, & gloria.* Cùm Deus solus propriè bonus sit, filius hominis aptè bonus homo dici potest, Maria autem, ut scribit doctissimus Idiota. in Prologo de Contempl. B. V. *Theaurus Domini est, & thesaurarius ipsius.* De hoc thesauro bonus homo multa bona profert, de hoc gazophylazio peccatori veniam, ægro saltem egentibus auxilium, lætitiâ mæstis elargitur, per Mariam enim cœli referantur, infernus occluditur, culpa solvitur, dæmon ligatur, mors destruitur, & vita reparatur. Dicente Bernardo. serm. de Nativ. B. V. *Redempturus humanum genus, universum contulit in Mariam.* ut & homini esset gratia plena.*

### CONCEPTUS VII.

Postquam Christus Dominus in arâ crucis, omnium sanctissimæ Passionis suæ mysteria consummasset, *inclinato capite tradidit spiritum.* Joan. 19, cap. *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Ibid. ad quem putatis, agonizantem Deum inclinasse caput? Aut quid inclinatione hæc significavit voluit moriens? Respondet quæstioni Cardinalis Hugo. *capite nato capite tradidit spiritum, id est, ex parte Matris suæ, quæ diceret; per ipsam veniam petite, ipsa enim est oraculum misericordiae.* addit Marianus calamus S. Joannis Damasceni. *de Dormit. B. V. quæ potest, & vult, à nostris miseris eripere bonis omnibus cumulare.*



Finio cum S. Fulberto Carnotense. serm. 1. de Nat. B. V. Epilogus.

Veniant igitur ad eam peccatores cum Theophilo, tundentes rea  
pectora cum interno fletu, ipsi quoque, si vere poeniteant, veniam  
adepturi, de quorum numero tibi assistentibus nobis, ut subve-  
nire iam, & auxiliari digneris, imploramus. O pœlecta! ô san-  
cta! ô venerabilis, & imperiosa! ô clemens, & propitia Domina  
nostra! quò possumus recuperare, & habere perpetuam gratiam  
filii sui Jesu Christi Domini nostri. Amen.

Gratia te fecit plenam, mala longè rejecit,  
Ut peccatori, des bene per te mori.  
Qui te rogat supplex, ut sis ei gratia duplex,  
Cedat in orbe malus, sis ibi nostra salus.

